



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Illationes aliquæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

§. III.

Illationes aliquae.

SUMMARIUM.

*Non omnis opinio est probabilis, n. 40.**Non satis ad probabilitatem, ut nil certum contra se habeat, sed necesse simul ut grave absolutè, & respectivè fundamentum pro se habeat, ibid.**Probabilitas aequè tollitur per certitudinem oppositi, ac per carentiam fundamenti, ibid.**Per quid opinio probabilis differat à fide, scientiâ, opinione non probabili, aut improbabili, iudicio temerario, & scrupulo? n. 41. 42.**Omnis extrinsecè probabilis nititur intrinsecè probabili, n. 43.**Quid opinio negativè, & positivè improbabilis? n. 44.**Cur nulla damnata maneat probabilis? n. 45.**Cur Hereticorum errores non sint opiniones probabiles? n. 46.**Probabilitas non sit certitudo per ignorantiam rationis opposita, n. 47.**Si una pars non est probabilis, non ideo alia est certa, n. 48.**Contra certum nil datur probabile, n. 50.**Tennis probabilitas est implicancia in terminis, n. 52.**Parum probabilis est non probabilis, ibid.**Opinio probabiliter tantum probabilis est inepta pro conscientia, ibid.**Quando opinio contra Scripturam dici possit probabilis? n. 53.**Celladei supponit in Probabilistis, quod negant, num. 54.*

N. 40. **E**X dictis patet 1. ad opinionem probabilem duo necessario requiri, nempe, quod nil certum contra se habeat, & quod post diligens, & inculpabile veritatis studium habeat pro se fundamentum grave: quale autem sit, jam exposui. Ex hoc evidenter sequitur, quod probabilitas opinionis A tollitur per alterutrum horum, nempe vel per certitudinem opinionis B oppositæ, vel per carentiam fundamenti gravis pro opinione A; non autem, ut plerique volunt cum Joan. Mart. de Prado tom. 1. Quæst. Mor. cap. 1. de Consc. qu. 2. §. 3. M. Donato tom. 4. tr. 12. qu. 37. n. 5. non autem, inquam, unice tollitur per certitudinem opinionis oppositæ. Ratio mihi est; quia ut opinio A non sit probabilis, non est necesse, ut opposita B sit certa, sed satis est, ut ipsa opinio A careat fundamento gravi, ut bene etiam innuit P. Card. tom. 1. d. 2. a. n. 110. quare licet valeat, opinio B est certa: ergo opinio A non est probabilis; non tamen valet, opinio B non est certa: ergo opinio A est

probabilis; quia non certitudo opinionis oppositæ B non est probabilitas opinionis A, nam probabilitas opinionis A est fundamentum grave ipsius, cum negatione certitudinis in opinione B. Similiter inferitur, quam falsum sit, quod aliqui Adversarij assument, omnem opinionem, quia nititur alicui rationi, esse probabilem: falsum, inquam, si ejus ratio sit levis; & ideo opinio dividitur in probabilem, & in improbabilem, qualis est omnis, quæ non est certò probabilis, ut rectè P. Faber, P. Mendo, P. Carden. Neufser d. 21. qu. 9. n. 13.

Patet 2. per quid opinio probabilis differat à dubio, à fide Divinâ, & humanâ, à scientiâ, ab opinione improbabili, & à non probabili. Differt à dubio, quod dubium sit suspensio omnis iudicii directi de re, de quâ dubito. A fide Divinâ non tantum, quia hujus motivum est Deus, sed etiam, quia est Deus, ut applicatus per lumen supernaturale essentialiter connexum cum vero; motivum autem opinionis est ratio applicata per lumen naturale obicurum. A fide humanâ, quod hæc unice nititur auctoritati dicentis, quæ auctoritas constat ex veracitate in dicendo, & cognoscendo res ut sunt; ratione veracitatis in cognoscendo, seu sapientiar præsumitur talis Doctor non falli; ratione veracitatis in dicendo præsumitur non fallere: non omnis autem opinio probabilis nititur auctoritati, sed sola extrinsecè probabilis; immò hæc ipsa remotè fundatur in ratione, cui nituntur Doctores, quibus fido. A scientiâ, quæ nititur motivo applicato per lumen evidens; opinio autem probabilis motivo applicato per lumen naturale obicurum, est enim actus incertus. Ab opinione improbabili, quia hæc habet contra se aliquid certum, nihil autem certum contra se habet opinio probabilis. Ab opinione non probabili, quia hæc nullam habet pro se rationem gravem; habet autem probabilis. Ab assensu temerario, quia nititur motivo levi absolute, vel saltem relative ad motiva (si adfunt) assensus oppositi; opinio autem probabilis niti debet motivo absolute, & relative ad motiva partis oppositæ (si adfunt) omnino gravi. Quæ omnia Navarrus in Manuali cap. 27. Miscellaneo 3. n. 279. dixit exponens illa: differunt in eo, quod scientia est firma, & evidens cognitio. Fides firma, non tamen evidens, sed obscura. Opinio, nec evidens, nec firma, quamvis sit judicativa. Dubitatio, nec evidens, nec firma, nec judicativa. Scrupulus autem est solum quoddam argumentum contra aliquam prædictarum: & quatuor prima sunt contraria, quæ non possunt simul inesse

P. Card.
P. Mendo,
P. Faber
Neufser,
N.

41.

42.

43.

44.

45.

46.

47.

48.

49.

50.

51.

52.

53.

54.

55.

56.

57.

58.

59.

60.

61.

62.

63.

64.

65.

66.

67.

68.

69.

70.

71.

72.

73.

74.

75.

76.

77.

78.

79.

80.

81.

82.

83.

84.

85.

86.

87.

88.

89.

90.

91.

92.

93.

94.

95.

96.

97.

98.

99.

100.

inesse uni, & eidem personæ eodem respectu. Scrupulus autem cum qualibet aliarum quatuor esse potest. Hæc Navar. quæ deinde ex

P. Thyrs. co adduxit P. Thyrsus *disp. 1. o. n. 37.*

N. Patet 3. definitionem a me traditam convenire principaliter opinioni intrinsecè probabili, licet enim dentur opiniones extrinsecè probabiles, seu ob auctoritatem virorum doctorum, & piorum hic, & nunc sine passione iudicantium, attamen omnis opinio extrinsecè probabilis resolvitur ultimo, & fundatur in intrinsecè probabili; ideo enim iudico opinionem hanc esse probabilem, quia Authores docti, & pii eam dicunt; dicunt autem, quia nituntur gravi rationi: ergo omnis extrinsecè probabilis resolvitur in intrinsecè probabilem, & ideo hanc solam, utpotè fundamentum alterius, definire placuit.

N. Patet 4. quid sit opinio negativè, vel positive improbabilis. Opinio negativè improbabilis, idem est ac non probabilis, & est illa, quæ vel caret omni fundamento, vel non nisi leve saltem ad fundamentum partis oppositæ, si adsit, fundamentum habet. Positive improbabilis est, quæ non tantum nullum, aut exiguum habet pro se fundamentum, sed etiam habet contra se aliquid certum, ex ratione, vel ex auctoritate. Moneo tamen saepe confundi opinionem non probabilem cum improbabili, licet, ut dixi, reverà differant, nam positive improbabilis est certò falsa, quia habet contra se principium certum: negativè improbabilis est, quæ caret omni fundamento gravi, non autem est certò falsa, quia ejus opposita potest esse probabilis tantum. Hinc evidenter sequitur, quòd nulla damnata potest manere probabilis, quia de essentia opinionis probabilis est, ut nil certum contra se habeat: sed damnata habet contra se certum Papæ damnantis iudicium: ergo tantum abest, ut stante damnatione retineat probabilitatem, quin sit positive improbabilis. Similiter sequitur, cur errores Hæreticorum, licet illis appareant verosimiliores, immò aliquando certi, non tamen sint opiniones probabiles, quia, ut

P. Thyrs. bene P. Thyrsus *disp. 8. n. 2.* ita apparent ob voluntariam eorum cecitatem, & quia, ut

P. Teril. ait P. Teril. *qu. 25. de Reg. morum*, illæ opiniones non concipiuntur post diligentem veritatis inquisitionem; non enim omnis verosimilitudo est probabilitas, sed requiritur, ut post diligentem veri inquisitionem opinio probabilis concipiatur ob motivum prudens, & grave. Verum expeditior ratio est, quia habent contra se certa fidei principia, quæ possunt certò cognosci à volentibus.

N. Patet 5. quòd probabilitas non sit certitu-

do per ignorantiam rationis opposita: tum quia cognoscere possum rationem ejus opinionis esse purè probabilem; tum quia certitudo oritur, vel à supernaturalitate, vel ab evidentia, & est quid positivum; ignorantia autem opposita est quid negativum: tum quia, qui minus inquireret rationes oppositas, quia maiorem earum ignorantiam haberet, maiorem etiam certitudinem haberet.

N. Patet 6. quòd si una pars non est probabilis, non ideo alia est certa; alias omnes opiniones non impugnata, & omnia, quæ scribunt Historiographi alijs non contradicentibus, essent certa, quòd nemo dicet: similiter, quia mihi non est probabile, sydera esse parva, esset certum esse imparia, cum tamen neutrum sit mihi probabile.

N. Patet 7. non semper ad probabilitatem requiri, ut partis oppositæ fundamenta solvantur, potest enim nullum pro se grave fundamentum habere, neque enim per hoc, quòd A sit probabile, sequitur, quòd B contradictorium sit probabile, ut dixi *S. antec.*

N. Patet 8. quòd contra certitudinem nulla est probabilitas, quia opinio probabilis est assensus incertus, id est, nec certò verus, nec certò falsus: ergo cum contradictorium iudicio certo sit certò falsum, non potest contradictorium iudicio certo esse probabile.

N. Patet 9. opinionem probabilem esse concretum, dicens pro materiali, & in recto ipsum actum opinionis tamquam subiectum, pro formali ipsam probabilitatem tamquam formam, à qua ille actus opinativus denominatur probabilis; si deinde ea probabilitas sit intrinseca, seu conflata ex verosimilitudine motivorum allicientium intellectum ad actum opinativum; si extrinseca, conflata ex verosimilitudine auctoritatis hic, & nunc non decipientis, allicientis ad actum opinativum: ab hac enim verosimilitudine prudenti motivorum opinio denominatur probabilis intrinsecè, & à verosimilitudine gravis auctoritatis denominatur probabilis extrinsecè.

N. Patet 10. per nostram opinionis Theologicè probabilis allatam definitionem, manifestum esse, quòd *tenuis probabilitas* est implicitantia terminorum, ut deinde notatum etiam legi in P. de la Fuente *disp. 4. n. 19.* & P. de la Fuente. Card. *tom. 4. disp. 4. n. 16.* nam probabilitas in rigore dicit efficacitatem motivorum allicientium intellectum ad prudentem assensum respectu hominis docti; tò autem *tenuis* excludit à probabilitate illam efficaciam; de quo fuscè P. de la Fuente per totam dissertationem: quapropter plures T. T. opiniones parum probabiles vocare solent improbables;

les; & omnes probabiliter tantum probabiles, adeoque non certo probabiles, sed dubie probabilitatis, vocant parum probabiles, & dicunt ad regendam conscientiam insufficientes, & merito, ut alibi dicam.

N. Patet 11. quid dicendum sit ad quæsitum, quod movet P. Thyrsus *disput.* 1. §. 4. nempe, an ad probabilitatem opinionis requiratur, ut non sit re ipsa contra Scripturam, aut decreta Ecclesiæ; & n. 24. resolvit, non esse verè probabilem opinionem, quæ re ipsa est contra Scripturam, Concilia, aut decreta Ecclesiæ; licet opinans id inculpabiliter ignoret, & habeat pro se gravia rationis fundamenta. Ratio illius est; quia ut primum constituerit eam opinionem esse re ipsa contrariam alicui ex dictis regulis, tenentur omnes rejicere illam, ut improbabilem; non est autem similis ratio de fundamento rationis, quod per ignorantiam apparet magnum viro docto, & probo, & ex eo citra culpam judicavit rem esse illicitam, quia quamvis alius vir doctus inveniat rationem validiorem pro parte opposita, ob quam sibi persuadeat sententiam illam esse falsam, & non esse practicè probabilem, attamen non potest verè dicere, illam opinionem esse secundum se improbabilem absolute, quia non potest prudenter judicare rationem, quæ convincitur, convicturum omnes. Sed contra 1. quia hoc unice probat, quod regulæ Ecclesiæ mereantur omne obsequium intellectus, non ita rationes, quas homo quantumcumque doctus trahere potest. Non tamen probat, non posse dari, immò de facto dantur plures opiniones prudenter probabiles, licet sint contra Scripturam, aliasque infallibiles Ecclesiæ regulas, dummodo Scriptura, & dictæ regulæ post diligens veritatis examen sint invincibiliter ignoratæ, & dictæ opiniones habeant pro se grave rationis, vel autoritatis fundamentum. Pater: quia de facto plurimæ sunt opiniones Theologicæ utrimque probabiles, & tamen cum sint circa Scripturam, & inter se cōtradictoriæ, una ex illis opponitur Scripturæ, quia tamen hæc invincibiliter ignoratur, & ex gravi fundamento negatur esse in Scripturâ revelatum, & eaque opinio nititur gravi rationis, vel autoritatis fundamento, est verè probabilis; alioquin quoties DD. in quæstionibus Theologicis discrepant, ex gr. Scholæ, Thomistica, & Scotistica, cum alterutra opinetur contra Scripturam, alterutra diceret improbabile, & alterutrius opinio esset improbabilis, quod nemo cordatus dicet; quod si hoc dicat, quæram, quænam Schola improbabile dicat, cum non sit maior ratio pro una, quam pro aliâ, & controversia

inter eas sit circa materiam obscurè, & incertò revelatam? Ergo potest opinio esse re ipsa contra regulas infallibiles Ecclesiæ, & esse certò probabilis, dummodo illæ regulæ invincibiliter ignorentur, & sint disputantibus incertæ, & opinio habeat fundamentum grave. Contra 2. quia si P. Thyrsi doctrina teneret, sequeretur, quod Pontifex damnans opinionem, non adimeret opinioni probabilitatem; cum enim ea sit contra regulas fidei, & morum, est improbabilis: ergo non adimit probabilitatem, non enim tolli potest, quod non fuit.

Patet 12. quàm manifestè decipiatur P. N. Elizal. qui ut nostram de licito opinionis probabilis usum sententiam horribilem reddat, dixit *lib.* 1. *quæst.* 4. & 5. tot, & tanta contra Probabilitatem, ut iatis sit Probabilitatum volumina aperisse, ut ea refutentur: asserit enim nos docere satis esse unum Doctorem, ut opinionem probabilem reddat, cum tamen hoc, nisi cum multiplici limitatione, à Probabilistis asseratur: asserit, satis per nos esse, ut opinio sit probabiliter probabilis, cum tamen oppositum à ferè omnibus Probabilistis ut certum tradatur: asserit, dari posse per nos opinionem probabilem, etsi contra eam stet aliquid certum, cum tamen signatè dicamus esse positivè improbabilem. Consideret lector axioma commune, Parvus error in principio, maximus in fine, & legat P. Teril. *P. Teril. de Reg. morum quæst.* 5.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta.

§. I.

Primum, licitus erit Atheismus; Secundum, licitus erit Academicismus.

SUMMARIUM.

Omnis heresis, & error Gentilium erit opinio practicè probabilis, n. 55.

A. M. Baro solvendum, qui minus exigit ad probabile, quam nos, n. 56. 57.

Solvendum à Celladei, n. 58.

Non omne verosimile est probabile, n. 59.

Quæ verosimilitudo necessaria ad probabile, ibid.

S. Thom. ait, quod probabile sit simile vero, non econtra, ibid.

DD. tuentes, quod nil contra probabile adest debeat convincens, intelligunt nil certum, ibid.

Nulla integra secta potest esse probabilis, cur? n. 60.

Nullus error Heretico perpendenti nostram fidem est illi probabilis, n. 61. 62.

Hereticorum probabilitas laborat ignorantia vinci-